



1657.

1. Beckmann, Johannes Bartholomaeus: De Lusatia
2. Richter, Christophorus Philippus: De tributis
3. Sagittarius, Joh. Christophorus: De homagio.
4. Schroeterus, Emericus Fridericus: De patria potestate
5. Schroeterus, Emericus Fridericus: De advocatis.
6. Stuve, Georg Adamus: De actionibus.
7. Stuve, Georg Adamus: De obligatione
8. ^o Stuve, Georg Adamus: De solenni obligatione ritibus
9. Stuve, Georg Adamus: De foro seculari et ecclesias-
tico in Imperio Romano - Germanico competente
10. Thomae, Johannes: De aleatoribus.
11. Thomae, Johannes: De religiosis
12. Thomae, Johannes: De revocatione fidei
13. Thomae, Johannes: De usucapionibus et praesump-
tionibus.
14. Thomae, Johannes: De non numerata pecunia.


15. Thomae, Johannes : De anargyria
 16. Thomae, Johannes : De pecunia numerata
 17. Ungepaur, Erasmus : De cedendo actionibus
 18. Ungepaur, Erasmus : De accessionum quibusdam
 maxime controversis speciebus

1652.

1. Olpius, Severus Christophorus : Legatus.
 2. Richter, Christophorus Philippus : De exceptione
 non numeratae pecuniae
 3. Stevoglus, Paulus : De potestate legis in re publica
 4. Sturme, Georg Adamus : De jure pacis.
 5. Sturme, Georg Adamus : De jure accrescendi.
 6. Sturme, Georg Adamus : De libertate naturali restituta.
 7. Thomae, Johannes : De duobus reis.
 8. Thomae, Johannes : De jure vario

trick.





Dupl. ¹⁷⁰³
1703
37
77
1
1651/1
DISPUTATIO CHOROGRAPHICA

De
LUSATIA

Quam

Præeunte Christo

in Illustri Academiâ Salana

Speçtatisimi & Amplissimi Philosophorum
Senatus consensu atq; indultu

PRAESIDE

M. JOHANNES BARTHOLO.

MÆO Bechmann/

placide eruditorum disquisitioni subjicit

PETRUS ERNESTUS CRAMER

Budissâ-Lufatus.

Autor & Respondens.

horis & loco consuetis

ad diem Februarii

M DC LI.

JENÆ

Excudebat CASPARUS FREYSCHMID.

400

4783.

VIRIS

*Plurimum Reverendo, Nobilissimis, Amplissimis
Excellentissimis Doctissimis, Clarissimis*

DN. MARTINO SAUDRIO à Sternfeld
Administratori & Decano Venerandi
Capituli Budisfinensis

DN. CASPARO ZEIDLERO Jcto &
Patriæ Protonotario dignissimo

DN. ANDREÆ ULRICO Hadamar/
Jcto & Practico apud Budisfinos
nobilissimo

DN. JOHANNI CRAMERO Not. Publ.
& Civi Budisfinensi

*Patronis, Promotoribus, Fautoribus, Parenti
testandæ suæ erga singulos observantiæ
atq; obedientiæ*

hoc exercitium

dedicat

Petrus Ernestus Cramer
Autor Responsurus.



189

J. J.



Uanquam Athenodori moni-
 tum: SILENTII PRÆMIUM PERI-
 CVLO VACAT; merito lingua mea, ne
 memetipsum temerario in periculum
 deducerem, frena alti silentii injicere
 debuisset. Relaxavit tamen eadem,
 immo plane sustulit, & quidem tum ma-
 teria hujus Facunditas, quam sanè nemo sana mentis negare
 poterit, cum ingentia ex illâ veniant delectamenta, quæ verò
 singula hic recensere nostri verò non, sed cujusvis sapientio-
 ris experientia relinquimus. Tum ejusdem Præstantia, quam
 David Chytræus & Cluverius, uterq; Vir Celebris brevibus
 sic delineat: Geographia historia lumen est atq; oculus. Quanta
 itaque Oculi præstantia tanta etiam est Geographiæ. Posita
 autè Præstantiâ, ponitur simul Utilitas. sicuti enim oculis orba-
 tus, ubiq; facile obicem impingit; sic, cum in historiis tot lo-
 corum, tot fluviorum, tot itinerum mentio fiat frequentissi-
 ma, cujus rei veritatem ipsa etiam Sacra Scriptura luculentis
 confirmat testimoniis, hujus Geographiæ ignarus sæpius in te-
 nebris confederit, egregieq; hæserit. Tum Amor Patriæ de-
 bitus: conscius enim mihi sum illius desiderii, quo præ cunctis
 vitæ humanæ voluptatibus Patriam meam diligo; cum Sym-
 macho loquor. Libr. 8. Epist. 65. Impium esse Patriam dese-
 rere, docet me idem Libr. 6. Epist. 8 in nullo verò plus pieta-
 tis constare, quam Patriam terram colere & reverenter ha-
 bere, in nullo plus virtutis, quam eandem amare. Cur. An-
nal. Sil. Part. 2. huic non nobis nati vivimus. Quæ cum
 probe constiterint mihi, & huic Nobilissima scientiæ primum
 ingenioli factum consecrare me impulerint, quâ fronte, quâ se,
 quove animo aliud arripere potuissem thema, quam id, quod

A 2 in



in primâ harum pagellarum praelucet? Quodnam aliud Geographia promptiore exhibuisset manu, quam Patriam terram? Neminem verò spero de nostrâ huc collatâ operâ male esse iudicaturum; neminem, inquam nisi (nam mali sunt homines qui de bonis dicunt male: Plautus loquitur) ipse fuerit malus. Sed, ne forsân justo nos prolixiores exhibeamus, omnëq; pagellam anteloquio impleamus, ipsam rem aggressuri sumus, sicubi autem in his que prolaturi cespita verimus, quilibet nobis eo benigniorem se exhibebit, quo, nihil peccare in rebus humanâ conditione altius esse, melius cognoverit. Plutarchi sunt verba in Fab Maxim. Numen vero illud Supremum & sempiternum nostro huic conatui Spiritus sui Sancti auram clementer indulgere annuat, eum sic dirigat, sic ducat, ut Patria terra laudi sit & honoris, nostrisq; studiis magno olim emolumento.

Thes. 1.

Repetitis è Geographia altero historiarum oculo de Orbis terrarum in quatuor continentis Asiam, Africam, Europam & Americam sive Orbem novum generali divisione & singulorum locorum inveniendâ Longitudine & Latitudine, indeq; unius ab altero intercapedine seu distantia ac Zonarum Climatūq; ratione, LUSATIA Patria dulcissima in Germania tertiâ sc. continētis ut Europæ parte nobilissima & amplissima, & sic in Zona temperata boreali, & quidem in Germania Inferiore sive Septentrionali, quâ à Superiore & Meridionali non incommode per Mœnum seu Moganum fluvium, aut potius per Sylvæ Semanzæ & Gabretæ ductum continuatum separatur, sub climate potissimum octavo sita, habens ab Oriente Silesiam, ab Occidente Misniam, & superiorem Saxoniam, à Septentrione Marchiam, & à Meridie partem Bohemiæ.

Thes. 2.

Quo autem felicius progrediamur, merito ad ipsius vocis LUSATIÆ cognitionem nos pedem movemus, nostrumq; laborem

228.
1786

borem, cum omnis rei inspectio Etymologia cognita plenior est, ut Isid. Lib. 1. Orig. cap. 28. ad illam ipsam LUSAT. Æ nostram convertimus. Debet autem hæc, secundum quosdam, natales suos partim VANDALIS partim GERMANIS. Est quidem Vandalis, quia Lusati dicuntur à Luc quod Selavis idem est ac Sylva. Germanis verò: quia addita est vocula Saße quæ idem significat ac Sißer quod docet verbum Land Saße der auff dem Lande sißet oder wohnet. Ex his Lusati quasi Wald Saßen dicti, id quod patet ex Dresser. de Germ. Urb. præcip. Mag. histor. P. 5. Huic derivationi loci arridet convenientia, siquidem huc & illuc sylvæ oculis incurrunt ac nemora.

Alii tentant LUSATIAM derivare à verbo Lauschen per elisionem literarum chen. i. e. warten wo es hinauß wil. sich fürsehen / ideo quod hæc gens astuta sit, provida consilio, ac prudens, ut infra suo loco dicturi sumus. Niße vero syllabam esse Vindorum autumant.

Alii præterea non denegant derivari posse LUSATIAM ab utilitate ut dicatur quasi Lauter Niße mutatis quibusdam literis, ut T auferatur & eius loco S ponatur, quod antiquus fuit usus, docente Johan. Gorop. Becan. Lib. 5. Gallic. fol. no. Perr. Greg. Tholoz. Lib. 15. de Rep. cap. 1. uti & ut pro ss. U verò legatur cum signaturâ duorum punctorum. Quoniam autem nomina in iß & niße Slavica sint, teste Althamm. in Corn. Tacit. Germ. veræ etiam voculæ scriptioni rd niße minus inferviat, cum rectius scribatur die Lausiß quam die Laußniße / quod docet vox LUSATIA & documenta publica. Propterea derivationi in frontispicio thesæos positæ, ut optimæ, præ ceteris fidem adjungimus, quanquam, cum hac de re nihil certi haberi potest, eandem non ut veram sed probabilem saltè venditemus.

Thes. 3.

Paterex variis autoribus varia antiquioribus LUSATIÆ incolis fuisse nomina, quorum, cum scitu digna sint, merito mentionem facimus. Vocantur autem

I. SVEVI à Tacito de Germ. morib. ut refert Althamm. in Comment. ad hunc, & Dresser de Germ. præcip. Urb. Fatemur

A 3

quidem

029.
1737
quidem hac voce SVEVORUM in suo significato generatiori omnes omnino notari Germanos, ut in pluribus veterum historicorum scriptis videre est, in specialiori tamen soli LUSATI hanc SVEVORUM dictionem jure sibi arrogare possunt. Dicti autem fuere LUSATI SVEVI, propter SVEVUM fluvium, Germanicè dicitur Spree/ ad quem antiquiores illi habitarunt, horumque posteri adhuc habitant. Cur. Annal. Siles. P. 2.

II. SEMNONES à Ptolomæo, Carione in Chron. & Althamm. in Comm. ad Tacit. quod nomen forsitan Cureus intendit, quando eos vocat *Senones* Annal. Siles. Part. 1. dicens: Desertis sedibus veterum Lygiorum non solum, verum etiam vicinarum Germanorum Senonum Hermundurorum, Marcomannorum, Bojorum &c. & quando occupationem harum sedum recenset, patet Senones fuisse accolæ Svevi fluvii; ex prioribus etiam Curei verbis rem habemus luce clariorem, cum hæc nostra LUSATIA Lygiis est vicina.

III. CENOMANNI, ut videre est ex Strabone.

IV. CENINENSES: à Paulo Diacono sic allegati; dicti vero, secundum Cornelii Taciti sententiam à cultu divino & pietate, quam præ se tulerunt, siquidem idem Tacitus de Germanis. luculentissimum affert testimonium, quod, cum sit inimici, majorem sanè fidem conciliabit.

V. ILINGI præterea nominantur, vid. Bilibald. Pirckheimer ad Tacit. Germ.

VI. LYGI ut refert Philipp. Melanct. ad Tacit. Germ. quod nomen illi forsitan his imposuere, qui LUSATIAM Silesiæ partem esse putarunt, vel qui ad morum & ingeniorum convenientiam respexerunt.

VII. ELISII, cui voci vocabulum LUSATI, ut Cur. Ann. Siles. P. 2. notat, affine est. Dicunt quidam hoc vocabulum esse ab Elischa seu Elisa nepote Japheti: quod nimirum istius posteris bella & tyrannidem fugientes huc progressi sint. Hæ enim gentes simul etiam sunt profectæ, novas sedes quæsierunt, & promiscuè habitarunt. Cur. Ann. Sil. P. 2. Carionis verò Chronicon autumat libr. 4. verisimilius esse hoc nomen illis ab Elisstro fuisse impositum.

Tbes,

830
1785

Thes. 4.

Dividitur LUSATIA in SUPERIOREM seu Meridionale & INFERIOREM seu Septentrionalē. Vtraque suis gaudet *Stuasi-*
gens propriis. Primaria seu Metropolis in Superiori est laudatiss-
sima mea Patria Budissina: in Inferiori est Lucca.

Thes. 5.

Circa datam divisionem varia sunt opiniones, quo nimirum tempore facta sit, siquidem in publicis documentis ante annum Christi 1466. editis ea nullibi invenitur, teste Dressler. de præcip. Germ. Urb.

Thes. 6.

Quoties hæc nostra LUSATIA Dominos suos mutaverit, patet ex historicorum scriptis. Docent eadem nos eam jam Polonis, jam Silesiis, jam Bojis, jam Misnicis, jam Brandenburgensibus Marchionibus, jam Hungaris adhæsisse. Anno 1012. debellavit eos, inque suam potestatem redegit Boleslaus I. Polon. Rex, vocatus à Vandalis tunc ad Lusatorum voluntatem viventibus, & sic Polonis adherere coacta fuit. Anno 1086. Imperator Henricus IV. Moguntinæ in conventu Imperii LUSATIAM Bohemis adjudicavit atque incorporavit. Anno 1163. transferunt quadam LUSATIÆ urbes ad Silesios, quadam ad Marchiones Misnicos. Anno 1213. Lusatia inferior Marchioni Brandenburgensi vendita est à Boleslao. Anno 1490. juravit Lusatia in verba Uladislai Regis Hungariæ. Crebrius autem & frequentius in hanc fuit Dominium Bohemorum.

Thes. 7.

Hodie fert Clementissimam dominationem Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxonici, cui sub initium Junii Anno 1623. à D. Ferdinando II. Imperatore Romano invictissimo per Legatos attributa, decimo verò & quarto anno post, nimirum Anno 1637. mense Octobri solenni ritu sacramentoque adhibito, in fidem data est; cum & hucusque per benè longam temporis seriem Regno Bohemorum fuerat incorporata vid. Vechner. in Univers. Germ. Breviar. cap. 5. p. 171.

Thes. 8.

Dicitur Marchia seu Marchionatus Ein Marggraffthumb. *primo sic appellatus est*
Hinc



U-31.

1789.

L. Analer f. 43.

Hinc Elector Saxonicus Sereniss. vocatur Lusatiae Marchio
Marggraff in Ober- und Niederlausitz. Marchio autem seu
Marggraff idem est ac Princeps limitaneus. *Marck* enim limi-
tem significat, & lapides in finibus positi dicuntur Germanice
Marcksteine Cuspiam. in Proem. Austriac. Hotomann de verb.
Feud. verb. *Marchiones*. Deducitur verò à *Mercken* quod scil.
fines Provinciae ibi observari debeant ac retineri. Alii verò
Marck derivare tentant à *Mara*, *Marcka* aut *Mere* quod equum
seu equam significat, & abinde compositum volunt *Archimar-*
schallum, ex Graeco *ἀρχος* Princeps, & Germanico *Mara* Equus
seu Equa & *Schal* vel *Schalck* / quod denotat ministrum, ut sit
quasi magister Palatii oder Oberster Stallmeister / vid. Dn. Ge-
org. Philipp. Marsdorffer de Philolog. Germ. Disp. II. n. 33. qui
verbum hoc prolixius ibi tractat. *Grass* latinè Comes, nomina-
tus à comitando. Germanicum autem quidam à Gravitate de-
ducunt, viros eisdem esse debere graves. Sed minime rectè ex
eo deducitur, cum vox sit pure Germanica & praefectum signi-
ficet. Quod verò ex istis dictionibus *Marggraff* / qui praefectus
est limitum, proveniat, & quidem rectè, faciunt nobiscum *Alc-*
hamm. ad Tac. Germ. Christ. Beermann. de Orig. Lat. Ling.
Dresser. Mill. 6. P. 2. Matthaeus Stephani & alii. Primus autem
Lusatiae Marchio fuit Goro Illustrissimus & fortissimus Prin-
ceps. Spangenberg spec. Nobil. Part. 1. Lib. 10. cap. 19.

Thes. 9.

Utraque LUSATIA absente ipso Marchione, suos habet
Promarchiones plenipotentes. Ordinaria Superioris sedes est
Budissina, Inferioris vero Lusatiae Promarchionis sedes est *Lu-*
bona. Hodie ceu gemmae immo ceu sidera splendent in Superi-
ori Illustris & Generosus heros Dn. Dn. CUNRADUS REIN-
NECCIUS à CALLENBERG, Baronatus Muscoviae, *Wettesin-*
gen und *Wesheimb* Dynasta hereditarius, à Serenissimo & Po-
tentissimo nostro Electore Saxonico Legioni uni equestri sum-
mo cum Imperio praefectus. In Inferiori Illustris & Genero-
sus Dn. Dn. SIGISMUNDUS SIGFRIDUS Baro à PROMNITZ
Dynasta in *Plesß* / *Soraw* / *Triebel* & *Naumburg*.

Thes.

Thes. 10.

In hoc conveniunt Scriptores, quod Marchia nostra LUSATICA constituta sit ab Imperatore Henrico Aucupe. Circa tempora verò Constitutionis variant. Quidam dicunt, quod facta Anno Christi 920. cum Imperator Sarmatos devictos sibi-que devinctos dedisset. Alii factam eandem esse statuunt Anno Christi 927. devictis & prostratis Bohemis. Prius & posterius statuit Cureus, sui forsitan nescius, vid. Annal, Siles, p. 1. p. 29. & p. 2. p. 302.

Thes. 11.

LUSATIAM SUPERIOREM Urbes constituunt primariæ sex. Ab harum numero vulgo LUSATIA vocatur die *Sechs Städte* / Hexapolis, & incolæ sæpius dicuntur Hexapolitani. Metropolis est BUDISSINA à fundatore Budislao Bohemorum Rege sic dicta; ad Svevum sita: Longitudo eius est 31. g. 50. m. Latitudo vero 51. g. 0. m. Arcē habet munitissimam. Templā intra, inter, & extra mœnia VII. excepto monasterio jam diruto, quæ tamen partim exstructa partim destructa videntur. Scholâ gaudet celebri, cujus hodie Rectorem habet Virum Clariss. Dn. Johannem Theil M. P. L. C. præceptorem meum æterna veneratione dignum. Turribus ornata VII. exceptis propugnaculis, quæ harum numerum aliquoties excedunt. Aquagium etiam ibi ostenditur, cui, quod referant, in tota Germania vix unum vix alterum respondet. Per hoc execrabilis belli tempus bis, nimirum Anno 1620. ab Electore Saxonico, jam Domino suo Clementissimo, & Anno 1634. à Casareanis funditus cremata, & horrendo, immo inhumano modo una cum ingenti hominum numero inflammas & cineres redacta & resoluta fuit. Quæ ruina posteriores quotannis incolas adhuc superstites in luctum vocat atque mœrorem.

GORLITIUM Urbs alias satis laudata, ad Nissum fluvium locata. Longitudo eius est 32. gr. 30. m. Latitudo vero 51. gr. 0. m. A Sobieslao Principe Bohemico Anno 1131. munita & restaurata; Templis dotata V. in quorum numero duo inveniuntur, quorum, quod scitu dignum, & nullibi in totâ Germania

0.32
1790

*Refer de Vininat. p. 342
Patria mea Budissina
ad videret mœnia quæ
delectat vocat Phalanx
in dicitur desubis / p. 10
d. ubi ad exordium Siles
fluvium m. l. 10. 10.*

B

mania



633.
1291.
4

mania habetur, unum alteri superinstructum est. Simulacrum
ibi monstratur sepulchri Domini nostri Jesu Christi, das heilige
Grab/multo ære, multo labore & bina vice peracto itinere com-
paratum, aliaque circa passionem quæ occurrerunt notanda.
Hoc sepulchrum, quod ajunt, nullius longitudini respondet,
nisi eodem anno diem obituri: ajunt. Scholam ante pauca
tempora habuit vix ac ne vix palmam Gymnasio cedentem, sed
dira Martis favitia illam in exilium detrusit. Turres eminent
V. Propugnaculis verò munita quam plurimis, quam validissi-
mis. Intervallum ab hac ad Budissinam constituit milliaria Ger-
mania VI.

SITTAVIA ad Nissum in ipsis Bohemiæ finibus colloca-
ta. Templâ habet V. Scholam Scholarchasque celebres. Tur-
res numerantur ibi III. intervallum ab hac ad Budissinam con-
stituit VI. ad Gorlitium V. milliaria germanica. IV.

CAMENTIA: Urbs quam Ceres quamque etiam Bacchus
amat ex parte, Neptunus verò nimis odit. Templis gaudet IV.
Scholam horum temporum & sæculi infelicitas atque iniqui-
tas devastavit. Turres ostendit IV. huius usque ad Metropolim
intervallum est milliaria III.

LAUBENA: ad Qveissum, in finibus Ducatus Jauravi-
ensis. Templâ sibi exstruxit III. Scholam alit laudabilem. Tur-
rium numerus est ternarius. Incolæ hujus ut & Sittaviæ & Bu-
dissinæ magnam operam consumunt in artificiosè contexendo
linteo. In hanc Urbem Anno 1424. tanta fuit Hussitorum ra-
bies, ut pueros in scholis, & sacerdotes in ipsis templis macu-
verint. Intercapedo ad Metropolim facit milliaria germanica IX.

LOBAVIA vulgò die Liebe. Templâ habet II. Scholam
quidem fovet sibi utilem, non verò magni nominis. Turrim
habet I. Incolæ victum acquirunt per assiduam Agri horti-
culturam. Ab hac venit illud proverbium: Die Stadt ist fle-
ne/aber die Liebe desto grösser. Intervallum inter hanc & Budis-
sinam milliaria sunt III.

Hæ fuere Urbes qua constituerunt Hexapolim. Jam sub-
jungimus illis reliqua etiam oppida, quæ interposita atq; loca-
ta videntur. Sunt ea autem sequentia:

WITCHE

WITCHENAW ad Svevum: Regionem colens Ponti-
ficiam, plurimumq; utens idiomate Vandalico.

HOIERSWERDA: Nigro Elystro circumfluum: Arce
dotata non adeo ineleganti. Peculium Nob. à Ponickau.

MUSCOVIA non longè à Nisso: Baronatus supradicti
laudatiq; Illustr. & Generos. Dn. Dn. à Callenberg.

KONIGSBRUC non verò Konigsberg, ut quidam erro-
re imbuti putant, in finibus Misniæ. Vineta colit quam jucun-
dissima. Baronatus Illustr. & Gener. Dn. Dn. à Schellendorff.

ELYSTRA die Elster: nomen forsàn ab Elystro: peculi-
um Nob. à Ponickau.

REICHENBACH ad Nissum. HIRSCHFELD ad Nissum.

SEIDENBERG. SCHONBERG. MARCLISSA. Varn
Städtlein.

ROTTENBURG ad Nissum peculium Nob. à Saltz.

Hoc Bertius in tabulis suis contractis errore ductus cum
homonymo suo Imperiali Franconiæ Urbe ad Tubarim con-
fundit, ut notavit Vechn. in Brev. Univ. Germ. p. 173. vid. Bert.
1. 2. de Europa. p. 377.

WEISSENBURG. Marienstern/Ducale Cœnobium insti-
gnis elegantiae, incredibilis opulentiae.

OSLERITZ cum cœnobio vicino Martenthal.

Thes. 12.

Positis Urbibus & oppidis Superioris nostræ Lusatiae, con-
vertimus nos ad Inferiorem seu Septentrionalem eiusq; Urbes
& oppida in recensionem vocamus. Metropolis est LUCCA
dicta à Slavico Luc. vid. Cur. Ann. Sil. Part. 1.

Huic succedit LUBENA ad Svevum, dicta à Lygiis vel Lu-
iis. vid. Cur. Annal. Sil. p. 2. Sedes alias Promarchionis & Præ-
fecturæ Judiciariæ in Inferiori, ut in Superiori Budissina, ordi-
naria. Hanc munivit & amplificavit Boleslaus Anno 1175. Con-
funditur hæc Lubena à plurimis cum superius positâ Lobavia
seu Liebe.

GUBENA ad Nissum. Baccho præ ceteris urbibus amica.
Hæc Anno 1434. funditur à Bohemis Vladislai Poloni operâ
destructa est, interfectis promiscue omnibus, adeo etiã ut

B 2

tunc

293

tunc Commune sepulchrum suorum civium dicta fuerit.

Hanc excipit SORAVIA. Dicta hæc fuit, ut Cureus Annual. Siles. P. 2. autumat à SORABIS olim illius loci incolis. Hodie Illustr. & Generos. Promnitianæ familiæ peculium.

Soravia n sequitur FORSTA ad Nissum, peculium Illustr. & Generos: Dn: Dn: à Biberstein.

Hanc excipiunt sequentes: SPREMBERGA ad Svevum. Vindemiis hæc gaudet, pomorum excussionibus, singularique triticeam coquendi cerevisiam experientiâ. Illustr. & Generos. Dn. Dn. à Kitlitz peculium. Tribel ad Nissum.

LIEBROSA, Baronatus Perillustris Dn. Dn. à Schulenburg prælustri literaturæ fideris.

SONNEWALD, Baronatus titulum acquisivit peculium Comitum à Solmitz.

DOBRILUG, Collegium olim per celebre ad Elystrum nigrum.

LUBENAU peculium Comis Perillustris: à Leonar.

NEUZELL Abbatia non infimi nominis.

FURSTENBERG. FINSTER WALDA. FREIEN HAN. CALE. PFORTEN. Sunt etiam STORKAW. FESKO. PEITZ. COTBUS. SOMMERFELD sub cælo Lusatia, quæ tamen si dominium spectes, ad Marchiam Electoralem Brandenburgicam pertinent.

Thes. 13.

Relatis utriusque Lusatia Urbibus oppidisque, merito etiam fluvios illius referimus præcipuos. Sunt autem illi sequentes:

I. SVEVUS Germanicè die Spree. Hic ortum suum habet juxta Sprebergam pagum, è Bohemia montibus Lusatia confinibus. Cursu suo alluit laudatissimam meam Patriam Budisfinam, Witchenaum, Senftenbergam, Sprembergam, Cotbusium, Lubenam, Peskoviam, Berolinum; ad Spandaviam influit in Havelam & tandem sese in Albim exonerat. Laudat cum Ptolomæus lib. 2. cap. 17.

II. NISSUS die Niesse alterum prope Grumpach, alterum juxta Fridlandiam ortum trahit, præterfluit hic Grabstein.

Sitta



536.
299
Sittaviam, Hirschfeldam, Oßritz, Liffam, Gorlitium, Pribusium, Tribel, Muscoviam, Sommerfeldam, & tandem ad Gubenam in Viadum sese effundit.

III. QVEISSUS: Hic oritur ad Fridbergam, præterfluit Greiffenbergam, Laubenam, Nauburgam juxtaque Saganum, Boberam miscetur.

IV. Est ELYSTER die Elster/ qui prope Königsbrue Misniam à Lusatia dividit.

V. ODERA partem Inferioris nostræ Lusatiæ alluit.

Thes. 14.
Superiores Officiales LUSATIA habet sequentes: Pro-marchiones die Land Voigte. Capitaneos Provinciales die Landes Hauptmänner. Praefectos Juridicos, in Superiori dicitur der Ober Ampts Hauptmann in Inferiori der Berweser. Seniores Provinciales die Landes Eltisten. Hi omnes & singuli ex Illustre & nobilitate Generosis familiis eliguntur, constituuntur, & communi nomine cum ceteris die Land Stände appellantur. Hos sequuntur Magistratus.

Thes. 15.
Hi die Stii Status magnificâ splendent potestate quotannis conventus suos Ordinarios, & si Salus Regionis postulât, Extra Ordinarios indicare. Utraque hanc potestatem habet, utraque eandem per singulos annos solenni ritu exercet.

Thes. 16.
Superior LUSATIA fovet Consistorium Ecclesiasticum, Canonicum, cujus Praeses est Decanus Venerandi Capituli Budissin, Vir plurimum Reverendus ac Nobilissimus Dn. MARTINVS SAVDRIVS à Sternfeld. Inferioris LUSATIÆ Consistorium celebratur apud Lubenenses.

Thes. 17.
Inferior præterea LUSATIA Judicium quotannis exercet quod dicitur das Land Gericht. Hujus Praeses pro tempore est Vir Nobiliss. Dn. ab Holtendorff, Senior Consultiss. Dn. D. Lochmann. Assessores verò Excellentiss. & Doctiss. JCTI, & quidem ex Lipsiensi Acedemiâ Dn. D. QVIRINVS SCHACHER, & Dn.

037.
1795
& Dn. D. WIRTH. Vir uterque non incelebris. è Wittenber-
genſi verò Dn. D. TAVBMANN vocatus & conſtitutus, dein-
de etiam Gubenſis & Luccenſis Syndici huic Judiciſſimo auctori-
tate ſuâ interſunt.

Thes. 18.

Idiomate utitur Superior quod neque in totum eſt Sileſi-
cum, neque in totum Miſnicum; hoc aliquam partem impuri-
us eſt, illo verò purius. Quanquam non negem quod Gorliti-
um, Laubena ut & Sittavia, cum Sileſiis ſint propinquiores, eo-
dem fermè abſtruſo loquendi modo utantur, Budiſſina, Ca-
mentia & Lobavia tamen, ut Miſniaco territorio proximiores,
Miſnenſium ſale ſuos ſermones condire quamplurimum ſtu-
dent. Inferior verò LVSATIA idioma habet, quod habito re-
ſpectu Situs Urbium etiam Marchiaco reſpondet.

Thes. 19.

Quam paternè noſtram LVSATIAM DEUS præ ceteris
multis amaverit, quoties à ſummis imminentibus & irruenti-
bus periculis liberaverit, quantisque beneficiis affecerit atque
maſtavit, mearum ſane virium non eſt ſatis deprædicare. Hoc,
hoc, inquam, non ultimo ſed principiè ponendum loco, quod
per Spiritum ſuum Sanctum duriffima & ferociſſima Veterum
noſtrorum corda clementer emollire &, cum hæc gens πολυ-
θεϊſτῶν probaverit, à ſuperſtitioſis ethnicorum cultibus ad ve-
ram fidem pietatemque Chriſtianam ducere voluerit. Annue
ſumme & omnipotens DEUS, annue votis & ſuſpiriis tuorum,
conſerva veram verbi tui doctrinam, eripe gregem converſum
ex infernalis lupi faucibus, largire Doctores veram ſalvificæ
doctrinæ viam calcantes, protege eos ſub alis immenſæ tuæ mi-
ſericordiæ & placido Sereniſſimi noſtri Electoris Saxonix re-
gimine.

Thes. 20.

Vandali in noſtrâ LVSATIA ſedem ſibi fixerunt. Invaſe-
runt eam ſub Zecho, fratre Lechi gentis Sclavoniæ auctore, &
ſedes à Svevo fluvio ad ipſam uſque ditionem Brandenburgen-
ſem extenderunt. Res ab his peractæ fuerunt Latrocinia,
irruptio-

638.
1796

irruptiones, devastationes, ut docent ea, quæ de eorum rebus
gestis adhuc exstant. Natio atas est implacabilis, ad servitu-
tem nata, Nobilibus nostris LVSATICIS subiecta, nullum ex-
fuis, ut alia, superiorem agnoscens, agros hortosque colens,
literarum ignara, nullos ideo, nisi suos Ecclesiæ Doctores viros
producens doctos; qui tamen postea se non Vandalos sed Ger-
manos esse jactitant. Vestitum seu vestiendi modum nunquam
mutat, in victu est sordida. Bella hæc Natio olim habuit quam
plurima, quam atrocissima, ut superflue testantur scriptorum
monumenta; testatur id bellum, quod aliquando Ludovico
Caroli filio denunciavit, & ab Anno 830. usque in Annum 837.
duravit. Cum verò Ludovicus gentis ferocitatem sentiret,
Francofurti eam ad se accersitam placavit atque pacavit. Cur-
ranal. Sil. Parr. i. Anno 860. Idola reliquit & ad Christianam
fidem atque doctrinam se convertit, cui etiam usque huc con-
stanter adhaesit. Hodie maxima ejusdem pars Lutheranis & E-
vangelicis se addixerunt, minima verò adhuc de parte stat Pon-
tificiorum.

Thes. 27.

LVSATOS satis commendavit Ligurinus, vetus quidam
Poëta, qui vixit tempore Cæsaris Barbarossæ, sic de illis & Si-
lehs scribens:

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,
Provida consilio, Legum Jurisque perita,
Corpore, mente valens, animo vigil, ore venusta,
Membrorum levitate vicens, patiensq; laboris
Prompta manu, sermone fluens, avidissima laudis.

Sat commendationis hæc sunt Poëtæ verba. Sat commenda-
tionis ipsa est Experientia. Ex hac enim Provinciâ, tanquam ex
equo Trajano, magna Doctorum prodierunt examina, magna
adhuc prodeunt. Viros producam quorum nomen magnum,
quorum scientia inestimabilis. Produco Magnum illum The-
ologum Dn. D. Schmid in celeberrimâ Argentoratensi Acade-
miâ. Dn. D. Chöfelium, Majestatis Regiæ Poloniae Archiatrum
& Consiliarium gravissimum. Dn. D. Biccium in Argentora-
tensi Jctum & P. P. Dn. D. Thebes in Academia Vpsalensi P. P.
Jctum

179.
179.
Iam nobilissimum. Do. Do. Epich in pralaudatâ Argentora-
tensium Academia Medicum & P. P. Hos & plurimos alios, qui
Provinciæ salutem & conservandam & augendam hodiè curant
quam diligenter quam vigilanter, Patria mea Budisina produ-
xit, quos tamen, ne forsan in eorum auctoritatem & gravitatem
recensendo peccem, sicco pede, & submissâ animi reverentiâ,
transeo. Afferre adhuc possem Nobilissimum illum Archia-
trum Megapolitanum Hehn, qui, ut & Cveintius ille quon-
dam Clarissimus nunc beatissimus Patriam habuerunt Gube-
nam. Adesset Archiater Majestatis Regiæ Danicæ Janus, Lu-
sati adessent plurimi. Immo ipsa Amplissima Medicorum hu-
jus loci facultas exhiberet nobis testimonium de nuperrimè hic
Laurea Doctorali coronato Viro Lusatio si opus esses, horum-
que laudi & dignitati hedera appenderi posset. Sed mirari eos-
dem tutius erit, quam laudare.

Thes. 22.

LUSATIE nostra non tantum Viros educat Doctos sed &
~~Bellicosos~~. Quanquam autem ipsa hodiernorum heroum
fortitudo satis nobis sit testimonij, tamen, quo minus quis de
effati hujus nostri veritate dubitet, munimus nos auctoritate
Plinij Libr. 14. cap. 18. Natur. histor. dicentis: Hermiones bel-
latores sunt optimi. Videre hic est exemplum Harminij ætate
Imperatoris Augusti, sub quo & nostra LUSATIA contenta
est. Julius Cæsar Comment. Bell. Gellie. Libr. 4 pro nobis
est, dicens: Gens Svevorum longè maxima est & bellicosissima
Germanorum omnium, Svevos autem fuisse LUSATOS supra
ostendimus. Movent nos exempla quæ habemus ex scripto-
rum fide collata. Cureus Annal. Sil. P. 1. dicit quod tempore
Henrici Aucupis Imperatoris viri fuerint in Lusatia nobiles,
præstantes robore animi & militia, qui deinde multos per an-
nos asperrima gesserint bella cum Henetis & Polonis Anno
1419. Zisckam Hussitorum Ducem depulerunt. Anno 1468.
concitante Rudolpho Episcopo Lusati sub signo crucis bellum
gesserunt. Anno 1477. Uladislai Bohemi exercitum, cum urbes
aliquot

640.
1298
4

aliquot frustra tentasset, horum manus & arma dederunt dilapsum. Tandem ipsius Matthiae Regis Bohemici testimonio multum roboris, multum laudis huic nostrae LUSATIAE tribuimus, dicentis: Hos, si militari disciplinâ imbuerentur, esse plus quam Viros.

Thes. 23.

LUSATIA satis est ~~frugifera~~, sat fertilitatis habet terra. Patria, satis à DEO bonis maectata. Agriculturâ donata est maximâ largitate colentium operâ respondente: campos habet amœnissimos, prata ostendit vernantia, hortos fovet jucundissimos & utilissimos, sylvas gerit & nemora quamplurima. Bacchum sibi habet amicum, præprimis tamen Inferior, cum Superiori omnem ferme suam fertilitatem abstulerit. Nullum vero in utrâque Lusatia vinum respondet Gubensi. Lini & Lanae tractatio est frequentissima. Ferrum in eâ maximo numero cuditur. Greges ibi & armenta præpter pabulorum copiam quam optime quam commode aluntur, ex quibus lacte fruuntur, caseos butyrumq; conficiunt, pecudes tondent, atque lanam vendendo magnam pecuniæ summam colligunt. Venaturis, Piscatu & aucupis abundat.

Plura haberem in nostrae Lusatiæ laudem facientia, quæ merito præmissis accuderem nisi pagellarum habenda esset ratio. Priusquam vero remos inhibeamus puppimque sistamus DEO pro adhibito auxilio gratias merito agimus quam maximas quam plurimas, eundemque devotè rogamus, ut Patriam sub umbra alarum suarum contra quoscunque hostium furores clementer tueri, & ad ipsum usque mundi finem tranquillam reddere & conservare velit. Te vero, Lector Magne & benevole, rogatum volumus, commissorum ac omissorum nobis, propter inopiam autorum, veniam benignè impertias.

Nos ancoram jacimus, stant littore
puppe.

C

COROL-

499.

[Decorative border with repeating floral and geometric patterns]

COROLLARIA.

1.

An Philosophia Dei donum sit. A.

2.

An Doctrina de Demonstratione sit necessaria? A.

3.

An necesse sit Metaphysicam ponere. A.

4.

*Philosophus quando contra veritatem & re-
tam rationem serio disputari vel statui
animadvertit an veritatem Philosophi-
cam vel occultare vel dissimulare bona
conscientia possit? N.*

5.

*An astra agant in hac inferiora peculiari qua-
dam Virtute. R. Indirecte.*

6. An



641.
1800.

6.

An ex siderum observatione certi quid pronunciare possint Astrologi. R. Probabiliter tantum.

7.

An in se- ipsum quis injurius. N.

8.

An filii sicuti à Patre, ita & à matre Nobilitatem accipiant. N.

9.

An honor competat defunctis. A.

10.

An Venationes Principe digna exercitia. A.

11.

An Princeps Subditis venationes rectè interdicit. A.

12.

An Judæi in Rebusp. bene constitutis sint tolerandi. D.


13.

An Peregrini Jure Civitatis donandi. D.

¶ 2

Non





1801
Non sine re natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Sicut Naso canit; testaris, doctæ Cramere,
Exemplô laudans patria rura tuo.
Invigila studiis ceptis, tibi proderit olim;
Hic labor assiduus præmia digna dabit.

*Ita Erudito Docto Dno Respondenti ex imis cordis
visceribus gratulabatur*

M. PRÆSES.

Kingel - Gedichte.

Dem fleisze folget Preis. Wer nach den Weisheits-schätzen
Von Kindes-beinen forschet / pflegt oft hindan zusehen
die sanffte Schlaffes - ruh / und scheuet keinen Schweiß
bey seiner Bücher - Lust. Dem fleisze folget Preis.
Dem fleisze folget Preis. Wenn einer Weisheits - fruchte
dem Tages - lichte zeigt / zusuchen ein Gerüchte
wie Ihr D Wert her thut und durch Ruhms - werthen Fleisze
das Vaterland beschreibet. Dem fleisze folget Preis.

Einem geehrten H. Landsmanne
und Tisch - gesellen schrieb
dieses

M. Carol. Zeidler von
Mupfau.

King-

Klinge: Gedichte.

645.
1802.

Liertes kluger Sohn war ferne; war entseßen
 Viel Tage, Monat/ Jahr auff fremdem Strand und Sand
 auß seinem Thaca/ nach Trojens Feuers = brand
 Und Krieger = satter Angst/ doch kont er nicht in dessen
 bey tausent = facher Noth desselben ganz vergeßen.
 So reiset manchen noch das eingepflanzte Band
 zu lieben der gestalt sein fernes Vaterland/
 dasß es der Menschen = wis nicht satßam kan ermessen.
 Der Weisheit liebt sein Rom/ sein Africa der Mohr
 das Vater = land zieht man dem Fremdben billich vor.
 Euch/ treu = geliebter Freund/ beliebet zu beschreiben
 der Lausitz Landes = preis; die werthe Zeugerin.
 O Lobens = werthes Thun! Wer also seinen Sinn
 durch Fleiß entdeckt des Ruhm wird immer grün bekleiben.

Seinem Herrn Landsmann und
 Tisch = Pürsch zu Bezeugung sons
 derlicher Gemogenheit schrieb
 dieses

M. Johann Franz von
Zittau.

Recht! so gibt dein kluger Geist Kräfte wachsen nicht so zu
 Unserm werthen Vaterlande/ Wie sie seynd entführet worden/
 Welches dich zu Ehren reißt e/ Zeit muß seyn bey stiller Ruh/
 Ein verdientes Lob zu Pfande. Wil man in den ersten Orden
 Hoffe nur gewissen Danck Hoffe uir gewissen Danck
 Lieget es gleich etwas krank. Lieget es gleich etwas krank.

E 3

Mavors

1303.

Mavors hat es zwar verlehrt/
Jeso heilen nun die Wunden/
Weiln es in den Stand gesetzt
Da der Fried sich gefunden.
Hoffe nur gewissen Danck
Lieget es gleich etwas Franck.

Unterdesen fahre fort/
achte nicht des Pöbels Lachen
tritt du am gelehrten Orth
sicht des Vaterlnades Sachen/
hoffe nur gewissen Danck
lieget es gleich etwas Franck.

Zu beharrender Freundschaft sagte es seinem Liebwerthen
Freunde und Landsmanne

Jean Siegmund Lochman.

Was verdienet grösser Lob / Als das liebe Vaterland &
Zeit es nicht mit solcher Treu / dir und mir die wer-
Hand?

Zancke nun zu dessen Ruhm. Eine zarte Myrthen Krone
Wird es deinem Haupte dann schencken zum verdienten
Lohne;

So umbkrönet wird es dich / wie vor diß der Helden Muth
Alter Römer jenem that / gleicher massen auch beehren /
Der da vor das Vaterland nie gescheuet eine Bluth
Und zugleich dir mein Freund dein verdientes Lob vers-
mehren.

Dieses schrieb seinem geehrten Freunde
und Landsmanne auß Schul-
digkeit

Gottfried Haupt.

Muß

643
180

Wß nicht gewisse Zeit alles sich enden
Frühlings Zeit sieht man Idumen an.
lenden

Ceres im Sommer befahlet/ Herbsts=zeit
Herschet Pomona/ im Winter das Leid.
Aber Apollo hält keine Zeit innen
Lasset die Hippocren immer fort rinnen
Führt die Gemüther zur Weißheit zur Kunst
Fahre fort/ Liebster/ die Lausiß hat Gunst.

Seinem geehrten Landsmanne und
Freunde schrieb es

Johann Georg Seiferdt auß
Budissin.

FINIS.



903.

Handwritten text in a Gothic script, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is largely illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text in a Gothic script, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is largely illegible due to fading and bleed-through.

FINIS



ULB Halle
002 392 003

3




TA → OL

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13



37.
 DR OGR APHICA
 #. 1783.
 1651/1
 Christo
 miâ Salana
 s fimi Philosophorum
 fu atq; indultu
 IDE
 BARTHOLO.
 chmann/
 disquisitioni subjicit
 STUS CRAMER
 lusatus.
 spondens.
 o consvetis
 Februarii
 C LI.
 VÆ
 S FREISCHMID.
 400